

70

DISSERTATIO
JURIDICA INAUGURALIS

37.

argub. 48

ad

L. Si quis 11. C. Depositi

quam

ita decernente Magnifico JCto-
rum Ordine

*Pro Licentia summos in utroque jure
honores adipiscendi*

P R Æ S I D E

DN. JOHANNE HENRICO
FELTZIO

J. U. D. Institutionum & Juris Publici P P. Ord.

p. t. Fac. Jurid. Decano

Patrono, Præceptore & Promotore

æternum colendo

Solenni Eruditorum censuræ in Alma

Argentoratensium Universitate

A. D. 24. Septembr. M DCC I. sistit

H. Locoq. sol.

FRANCISCVS ANTONIVS NEEF,

Altkirchensis - Alfata.

ARGENTORATI,

Literis DANIELIS MAAGII.

15



B. C. D.

THESIS I.



Um nuper Amplissi-
mæ Facultatis Juridi-
cæ in hac almâ Uni-
versitate Examini Studia mea
qualiacunque subjicerem, fa-
ctum est ut meæ in resollen-
dis Juris Textibus industriæ
dexteritatisque probandæ ergo
L. II. C. Depositi mihi pro-
poneretur. Quo labore ita
functus sum, ut antedieta Am-
plissima Facultas pro ea, quâ

A 2

pol.

pollet, humanitate inde augu-
rata fit, me forte non imparē
fore Certamini Inaugurali, mi-
hique eligendi Thematis & in
arena Academicâ ventilandi
facultatem permiserit; assurre-
xi lætus lubensque tam hono-
rifico Amplissimæ Facultatis
iudicio, & cum rationes meæ
longam moram non ferant,
eandem legem, curatori ocu-
lo lustrare, limitibusque pau-
lulum promotis loco Specimi-
nis Inauguralis exhibere decre-
vi. DEUS cœpta secundet!

Verba

Verba autem Legis, cujus sedes est in
Codicis Libro IV. Tit. XXXIV., hæc sunt

IMP. JUSTINIANUS
A. Demostheni P. P.

SI quis vel pecunias vel res
quasdam per depositionis
acceperit titulum, eas volenti
ei, qui deposuit, reddere illicò
modis omnibus compellatur,
nullamq; compensationem vel
doli exceptionem opponat, qua-
si & ipse quasdam contra eum,
qui deposuit, actiones perso-
nales vel in rem vel hypothé-
cariam prætendens; cum non
sub hoc modo depositum acce-
perit,

perit , ut non concessa ei re-
 tentio generetur , & contra-
 ctus qui ex bonâ fide oritur ,
 ad perfidiam retrahatur. Sed
 & si ex utraque parte aliquid
 fuerit depositum : nec in hoc
 casu Compensationis præpedi-
 tio oriatur. Sed depositæ qui-
 dem res vel pecuniæ ab utraq;
 parte quam celerrime sine ali-
 quo obstaculo restituantur , ei
 videlicet primum , qui primus
 hoc voluerit , & postea legiti-
 mæ Actiones integræ ei reser-
 ventur. Quod obtinere (si-
 cut jam dictum est) oportet
 etsi

etsi ex una parte depositio celebrata est, ex alterâ autem compensatio fuerit opposita; ut integrâ omni legitima ratione servata depositæ res vel pecuniæ prima fronte restituantur. §. 1. Quod si scriptis attestatio non per dolum vel fraudem fuerit ei, qui depositum suscepit, ab alio transmissa, ut minime depositum restituat, hocque per iusjurandum affirmaverit; liceat ei, qui deposuit, defensionis cautela idonea præstitâ res depositas quam ocyssime recuperare.

THE-

THESIS II.

IN Prolegomenis consideranda venit potissimum Inscriptio legis. Est autem illa vel Generalis vel Specialis. Generalis est ipsa Rubrica: DEPOSITI VEL CONTRA; quod idem est, ac si dictum fuisset: de Actione Depositi directa & Contrariâ, quarum illa est, quæ datur Deponenti adversus Depositarium ad rem depositam recuperandam. Hæc vero, quæ datur Depositario adversus Deponentem ad id, quod sibi propter depositum abest.

THESIS III.

Specialis Inscriptio est: IMPERATOR JUSTINIANUS A. *Demostheni P. P.* Unde patet scriptam esse hanc Legem ab Imperatore Justiniano ad Demosthenem. Imperatoris titulo illi, qui rei Romanæ præfuere, à temporibus Julii Cæsaris usi sunt

sunt

sunt antea etiam Exercituum Duces, qui
 justum Exercitum vicerant eo, sed post no-
 men proprium collocato, honorabantur.
 Justinianus quis fuerit nemini fere igno-
 tum est nihilo minus tamen paucissimis de
 vitâ noto: Eum natum esse circa A. C.
 483. in Bulgariæ oppido Achrido, quod
 postea nomen Justinianæ primæ sortitum
 est, Parentibus humilis Conditionis. Cum
 major fieret, militaribus laboribus ab A-
 vunculo, Justino Imp. adoptatus est; qui
 ipsum etiam A. C. 523. imperii socium sibi
 adjunxit; quo denique mortuo A. 527. so-
 lus publicæ Rei præfuit usque ad A. 565. in
 quo tempore quid contra Vandalos & Go-
 thos, & in Juris collectione præstiterit,
 dicere nunc supersedeo. τὸ A. est nota vo-
 cis *Augustus*, quo nomine jam inde ab
 Octaviano Augusto insigniri voluerunt
 Imperatores Romani. *Demosthenes* ille, ad
 quem lex scripta est, præfectum Prætorio
 egit id enim volunt duo illa P. P. quod of-
 ficium

B

ficium

*de Offic.
dom. Aug.
lib. 2. c. 1.*

ficiam ab Imperatoria dignitate proximum fuit; plura de eo habet GUTHERRIUS. Plures ceteroquin leges ad eum scriptæ in Codice Justiniano extant e g. l. 2. C. de Jure Emphyt. l. 19. C. de Jure deliber. l. 3. C. de Fideicommissis & alia. Tempus, aut locus quando & ubi hæc lex scripta sit, non patet, quia subscriptio deficit.

THESIS IV.

Id adhuc præmittendum Constitutionem hancce non tam Rescripti, quam Edicti speciem habere. Licet enim ad aliquem Magistratum scripta sit, nihil tamen in Textu apparet, ex quo concludi possit Imperatorem imploratum vel consultum respondisse.

THESIS V.

Nunc ad terminorum Explicationem progredior. *Depositionis Titulus* est, nihil aliud,

aliud, quam Titulus depositi. Depositio enim & depositum aliquando synonyma sunt; ut Pactio & Pactum. Titulus denotat causam, ob quam per Traditionem subsequentem jus custodiendi rem depositarius habet. *Compensatio* est debiti & crediti inter se contributio. *Deductio* est species Compensationis, cum nempe pars compensatur. vid. DIONYSII GOTHOFREDI notas ad h. l. unde & compensatio & deductio promiscue sumuntur ULPIANO. Per *Doli Exceptionem* hic intelligitur Generalis doli Exceptio, quæ datur ad excludendam actionem summo jure competentem contra æquitatem à sciente in iudicium deductam definiente ULPIANO & PAPINIANO; à qua diversa est doli Exceptio specialis, quæ propter dolum admissum in ipso negotio, ex quo adversarii actio descendit, competit. Per *Actiones in Rem* hic denotantur actiones quæ ex jure in re descendunt, & contra

B 2 quem-

l. 24. §. 6.
π. sol. ma-
trim.

l. 2. §. 5. l.
12. π. de do-
li mali &
merus]Exc.

quemvis possessorem dantur. *Hypothecaria* est Actio realis, quæ datur Creditori contra quemvis possessorem ad persecutionem rerum oppignoratarum. *Compensationis præpeditio* idem est ac Exceptio Compensationis. Præpeditio est à præpedire, quod idem est ac impedire, quia per Exceptionem impedimur in Actione nostrâ. *Defensionis Cautela* significat Cautionem, quâ quis alterum certiores reddit, quod ei si suum persequi velit, se sistere & causam suam defendere velit.

T H E S I S V I.

Duplex enim *Casus* Imperatori ob oculos versabatur: *Prior* ita se habet: Mævius apud Titium deponit varia vasa argentea & quinquaginta aureos; fit ut aliquo nomine Mævius Titio debere quinquaginta incipiat; vel ut vicissim Titius apud Mævium rem aliquam deponat; Postea cum Mævius vasa sua argentea, quæ depo-

depo-

deposuerat , repetit à Titio ; hic quidem non negat depositum , dicit tamen se non prius restituere illud , quam ipsi satisfactum vel suum etiam depositum redditum fuerit , se opponere Exceptionem vel Compensationis vel Retentionis vel deductionis vel etiam doli mali. Quæritur quid juris ? Respondetur teneri Titium statim restituere res sibi depositas , nec locum esse dictis Exceptionibus. Non tamen impediri eum , si depositum restituerit , Actionibus novis jus suum persequi. Acquiescens tandem hisce (qui *alter casus* est) Titius monetur per scriptum ab aliquo ne depositum adhuc restituat , sibi enim aliquod jus circa illud competere itaque quærebatur ; An nunc Titius depositum retinere possit ? Respondit Imperator. Etiam hoc in casu id restituendum esse , modo caveat deponens se depositarium defensurum esse.

THESIS VII.

Explicatis ita vocabulis difficilioribus ad ipsum Textum aggredior. Cum autem ille duobus constet paragraphis, quorum unusquisque singularem decisionem continet, duæ quoque quoque *Summa* constituendæ sunt. Itaque Principii summa hæc est. *Depositarius non potest opponere Exceptionem vel Compensationis, vel Deductionis, vel doli mali deponenti, rem depositam repetenti.*

Summam alterius partis ita concipio: *Protestatio Tertii, qua id agitur, ut depositarius retineat depositum, depositi restitutionem impedire non debet.*

THESIS VIII.

Notandum autem hic, quod dum Imperator ait. Retentionem vel Compensationem vel deductionem vel doli mali Exceptionem deponenti non posse opponi; intelligendum sit id de casu, si ob aliud quoddam debitum depositarius illam op-
po-

ponere velit; non si ob impensas in rem depositam factas. Contrarium quidem tenent JOHANNES GLOSSATOR, JOHANNES STRAUCHIUS, HAHNIUS, TREUTLERUS, MEIERUS, ECKOLDUS, WISSENBACHIUS, CHRISTIANUS THOMASIUS, aliique magni nominis Jcti moti potissimum sinistra Interpretatione tum Legis nostræ, tum *Legis ultimæ Codice de Compensationibus*. Sed nostra opinio firmatur & verbis, & ratione Legis. Verba si intueamur, apparebit. prohibitam quidem esse retentionem vel deductionem vel Compensationem, sed saltem *inconcessam*, adeoq; non omnem. Quod autem deductio vel retentio propter impensas in depositum factas inter inconcessas referenda non sit, probatur ex regula quam CAJUS proponit, ostendens, *quicquid contrario judicio peti potest, ab eo, qui directo convenitur, retineri posse*. Nunc autem in confesso est, tales impensas posse contrario judicio

*l. 18. §. 4. 7.
Commod.*

dicio

dicio depositi peti. Accedit quod verba illa: *ne contractus, qui ex bonâ fide oritur, ad perfidiam trahatur*; Satis ostendant ob præsumtam perfidiam retentionem prohiberi; at vero qua ratione perfide agere dici potestis, qui indemnitatem suam quaerit? Fovent hanc sententiam ACCURSIUS, BACHOVIVS, Amplissimus etiam SCHILTERUS.

*Ex. ad π.
XXVIII. §.
60.*

T H E S I S IX.

Imo etiam eò lex porrigitur, ut, si res depositæ casu consumptæ sint, adeoq; depo-
nens æstimationem petat, non possit Exce-
ptio Compensationis vel deductionis vel re-
tentionis opponi; quod vel inde probatur,
quia, ut ex INSTITUTIONIBUS satis cla-
rum est, Depositum aliquid præcipui habet
præ Commodato; at vero, quid præcipui ha-
beret, si hoc non haberet, non video;
cum in Commodato etiam, si Commo-
dans rem commodatam repetat, compen-
satio

*de Action.
§. 30.*

fatio locum non habeat, uti ex DIOCLETIANI & MAXIMIANI effato patet. Obiter hic etiam noto deposito tales Exceptiones jam ante tempora Justiniani opponi non potuisse, uti ex PAULI SENTENTIARUM Lib. 2. Tit. Depositi, manifestum est; Injuriam tamen facit Justiniano WISSENBACHIUS, dum ait; Justinianum se asserere autorem hujus juris; cum tamen id sit falsissimum; Ubi vero Justinianus id dicat ego quidem videre non potui.

l. ult. C. Commodat.

Disp. ad Inst. XLIV. §. 69.

THESIS X.

Num vero rite beneque Imperator, ut & veteres Jcti, de quibus, uti dictum, PAULUS indicium facit, deciderint, dum in Deposito Compensationem locum habere negant, dubitari posset ex eo, quod ULPIANUS affirmat, quod *illi cui damus actiones, multo magis etiam Exceptio competit.* Cum itaque detur Depositario Actio propter debitum, multo magis ei dandam esse

l. 156. π. de R. I.

C

esse

*l. 21. π. de
Compens.*

esse Retentionis, Deductionis, Compensationis vel doli mali Exceptionem. Accedit quod hac ratione Lites augeantur, quibus tamen maximo opere resistere Reipublicæ non parum interest. Cui & illud addo, quod, uti PAVLVS in libro IX. *Questionum* tradit, inter omnes placuerit id, quod *in vicem debetur, ipso jure, compensari*; idem itaque etiam erit in deposito; ut adeo pro ratione materiæ depositæ vel Compensationis vel retentio locum habere debeat. Verum ad hæc respondeo: Quamvis regulariter hæc ita se habeant, non tamen sine ratione statuisse Imperatorem & JCtos Veteres in deposito hæc aliter esse debere. *Ratio* autem sita videtur in favore quem merentur depositarii. Cum enim apud nullum facile aliquid deponatur nisi apud eum, in quo quis singularem fiduciam collocavit, & à quo quis rem suam facillime se recuperaturum esse sperat, malitiæ campus aperiretur, si sub prætextu aliorum debitorum

res

res deposita vel compensationis, vel reten-
vel alii simili Exceptioni subjecta esset.

T H E S I S X I .

Unde patet, non obstare rationes an-
tea in contrariam partem allegatas; quam-
vis enim plerumque iis Exceptionem con-
cedimus, qui habent Actionem, attamen
id adeo perpetuum non est, quin ex præ-
gnanti ratione mutari possit. Exemplum
habemus in eo, qui proprias ædes ab alio
conduxit; hic enim si conveniatur à Lo-
catore actione locati, & opponat Exceptio-
nem Dominii, nihil agit, sed *debet posses-
sionem prius restituere, & postea de proprietate
litigare*, uti loquuntur Imperatores DIOCLE-
TIANUS, & MAXIMIANUS. Nec altera ratio
plus ferit; tunc enim Lites augere permis-
sum est, si per distinctas causarum Tractatio-
nes malitiæ hominum improborum magis
occurri potest. Imo lites auctæ esse non vi-
dentur, si alia & nova actio est instituen-
da eum in finem, ut prior eo citius ad exi-
tum

*l. 29. C. de
loc. cred.*

tum perduci possit. Quod tertiam rationem attinet, illa quidem Juris Naturæ est, sed ejus quod LLtori permittit pro Reipublicæ suæ utilitate dictata sua mutare.

THESIS XII.

Consecraria legis hæc sunt

1. *Aliquando ei datur, Actio, cui non datur Exceptio.*
2. *Depositi causa est admodum favorabilis.*
3. *Quod ex fide bonâ oritur ad perfidiam trahi non debet.*


THESIS XIII.

Quod praxin Legis nostræ attinet, illa non tantum in eo, quod deposito non possit opponi talis aliqua Exceptio, sed & in hoc, quod ratione impensarum in rem depositam factarum hæ Exceptiones locum habeant, Imperatoris placitum sequitur docente CHRISTINÆO.

*Vol. III.
Dec. 48.*

Hæc sunt, Benevole Lector, quæ de Lege hac differere visum est, in quibus si quædam vel deesse vel male asserta reperies, ingenii infelicitati & festinationi id, ut adscribas rogo.

DEO SIT LAUS HONOR
ET GLORIA.



bitte im Buch lassen!

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN

3 0507179

7 A 2191

